



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Tora nevi'im u-ketuvim**

**Leusden, Johannes**

**Amstelodami, 1667**

Celsissimis Et Potentissimis Dominis, D. D. Ordinibus Generalibus  
Foederati Belgii.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-39406**

CELSISSIONIS  
ET  
POTENTISSIMIS  
DOMINIS,  
D. D. Ordinibus Generalibus  
*Fœderati Belgii.*

**E**ssi veremur, Potentissimi Proceres, in tantâ negotiorum mole, gravissimas Vestrás curas. & publica Pacis ac Belli consilia, intempestivo sermone interturbare: Libri tamen, quem sacrario Vestro inferimus, dignitas ac pretium, & nonnullum in eo edendo à nobis adhibitum studium, hanc fiduciam sumere coegerunt. Offerimus enim Vobis Divinæ Legis libros, quos Regibus & Principibus adeo commendatos voluit Deus, ut istud supra omnes eorum titulos ac laudes ponat, si Vindices ac Custodes illorum deprehendantur. Et verò necesse est, eos publice identidem exponere, & divinam hanc lucem Orbi saepius ostendere, atque hisce præsertim temporibus, quibus extinctâ pietate improbitas tam latè dominatur, vel invitis & renuentibus oculis ingerere. Est enim hoc pretiosissimum Cœli depositum, sine quo universus Mundus in profundis tenebris,

a

bris,

EPISTOLA DEDICATORIA.

bris, absque ullo Dei ac Cœli commercio, æternum ja-  
cuisset, à Conditore suo veluti abjectus & neglectui  
habitus. Nunc verò publicato eo Thesauro, & Deum  
esse, eumque in Mundo esse locutum, & fœdus cum  
homine fecisse, & non frustra humanum genus condi-  
disse, appareat: ac quoties de novo ejus copiam facit,  
iterum præsens homines affari, eorumque rebus inter-  
venire, ac cœlesti quodam lumine Mundum perfunde-  
re videtur: ad cuius adspectum non attollere oculos,  
neque eâ luce sese pascere ac satiare velle, id verò est  
hominis ingratia, & ad verum animæ pabulum nausean-  
tis. Enimvero Gens nostra sacratissimum hunc Codicem  
propri peculio suo semper habuit; & non illubentia  
animo elogiâ ista audimus, quod Sacrorum voluminum  
custodes, ac universi Mundi veluti capsarii dicimur,  
quod divina oracula nobis tradita & fidei nostræ cre-  
dita fuerint, quodque ea è Zione nostrâ in universum  
Orbem diffusa, clarissimam ubique lucem accenderint,  
nullis unquam tenebris obscurandam. Nunc ergo ite-  
rum ea typis nostris educta in publicam lucem damus,  
eo cultu ornatunque, quem adhibere licuit. Dili-  
gentiæ nostræ in hac Editione testes erunt Academiæ  
Vestræ, & Docti Viri, quorum judicia & nomina in  
initio operis præscripsimus. Id unum solum de nobis  
ipsis profiteri liceat, eam curam in adornando hoc ope-  
re, & tantum à nobis adhibitum studium, ut omnibus  
numeris perfectum prodiret, ut majore uti non potue-  
rimus. Accipite ergo, Celsissimi Proceres, facili ac be-  
nigno vultu Codicem hunc, quem portat Judæus, ut  
non incelebris Christianæ Legis Doctoris verbo utar;  
& in eo studia universæ nostræ Gentis æstimate; quæ  
tam diu Majorum suorum sedibus extorris, & in Vestrâ  
Republîcâ

EPISTOLA DEDICATORIA.

Republicā beatissimā pace ac securitate gaudens, sese  
Vestrīs C. C. humillimē commendat; &, dum ei sua  
fata per totum Orbem agitanda manent, nihil nisi mite  
exilium, ac non durum hospitium precatur; donec Do-  
mino placuerit misereri Zionis, & victo ac triumphato  
Mundo, universæ Terræ præsenti numine sese Deum  
exhibere, ac palam ostendere; quod continuis precibus  
expetimus.

Deus Opt. Max. Illustr. & Potentiss. Rempub. Ve-  
stram, pro cuius salute nostra Gens quotidiana vota fa-  
cit, diu in columem ac florentem, Vobisque omnibus se-  
sc fayentem ac propitium præstet.

*Illustriss. & Potentiss. Celsitud.*

*Vestrarum*

*Observantissimus cultor,*

JOSEPHUS ATHIAS.